UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

S. Hugo Abb. 29. April.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Visual Library

ſata inſigni miraculorum famâ illuxit. Tantum intereſt à teneris cum recto verum combibiſſe, quibus ſemel imbuta mens, ut vaſa recentia, odorem primum ſervabit. *Ex Surio.*

Nullæ ſunt majores divitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla mundi hujus major ſubſtantia, quàm eſt fides Catholica, quæ peccatores homines ſalvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles juſtificat, pœnitentes reparat, juſtos augmentat, Martyres coronat. S. Aug. ſer. 1. de Verb. Apoſt.

S. HUGO ABB. 29. *April.*

HUGONEM Eccleſiæ Burgundia, principe natum familiâ, protulit. Hic, adverſis parentibus, eò perfugit, ubi ſplendorem à Majoribus tractum humilis familiæ conſortio celaret. Capiti divinus ſpiritus, columbæ ſpecie conſpicuus imminere viſus: unde vim ad mira perpetranda ſingularem hauſiſſe perſuaſum. Nam & in ſecreto humanorum pectorum mentis obtutum figebat, & morbis cujuſcunque generis medicinam de cælo parabat. Habebat Sanctius in vinculis Alphonſum fratrem Hiſpaniæ regem, cujus libertatem cùm HUGO ſupplex à fratre poſtulaſſet, D. Petrus cœnobitæ cuipiam indicavit, HUGONIS apud Deum preces momentum habuiſſe,

buiſſe, Sanctioque deinde conſpicuus Alphonſi dimittendi mandatum dedit. Epiſcopo linguæ ad petulantiam ſermonis expeditæ vaticinatus eſt, poſt mortem tumente ac obſito puſtulis ore Manes ejus levitatis confeſſionem edituros. Spectro deinde effatum probante, indicto in dies ſeptenos monachis ſilentio, conſtitutâ ex contrario medicinâ, flammis purgantibus reum exemit. Sub exitum Deipara cum D. Petro HUGONI adfuit. Eodemque tempore Fulgentius Abbas duos Angelos vivit in aſtra geminum lectulum molientes, quorum alterum HUGONI, alterum Anſelmo Cantuarienſi Pontifici dicerent ſtratum. Et nunc ambo quàm molliter cubant! ridentque nos, qui, ut S. Auguſtinus loquitur, volutari malumus in carne & ſanguine. *Ex Hug. Clun.*

Si de omni vel otioſo verbo, quodcunque locuti fuerint homines, Deo ſunt reddituri rationem in die judicii, quantò diſtrictius de verbo mendaci, mordaci, injurioſo, de elato vel laſcivo, de adulatorio vel detractorio judicabuntur? S. Bern. l. de tripl. Cuſt.

S. CATHARINA SENENSIS V. 29. *Aprilis.*

CATHARINA ut primum fari potuit, ſcalas perreptans ad ſingulos